



6046

DISSERTATIO MEDICA  
DE  
**CURA MORIBUNDIS**  
**ADHIBENDA**

---

Q U A M  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE  
IN ACADEMIA LIPSIENSIS  
**SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**  
RITE CONSECTURUS  
ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU  
IN AUDITORIO JURIDICO  
DIE XXVIII. MENS. OCTOBR. ANNI MDCCXXXI  
DEFENDET  
**MAURITIUS GUILLEMUS SCHEIDHAUER**  
JOANNI - GEORGENSTADTENSIS  
BACCALAUREUS MEDICINAE.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA GUST. NAUMANNI.

VIRO SUMME REVERENDO

**JOANNI CHRISTLIEB BRUNNER**

SACRORUM APUD JOANNI-GEORGENSTADTENSES ANTISTITI

ET

P A T R I O P T I M O

**JOANNI GUILLEMUS SCHEIDHAUER**

SCHOLAE CIVICAE JOANNI-GEORGENSTADTENSIS RECTORI

PRIMIS SUAE JUVENTUTIS DUCIBUS

H A S C E S T U D I O R U M P R I M I T I A S

D.

DISCIPULUS ET FILIUS

A U C T O R .



D E

## CURA MORIBUNDIS ADHIBENDA.

Vivendi finis est optimus, cum integra mente  
ceterisque sensibus opus ipsa suum eadem, quae  
coagamentavit, natura dissolvit.

CICER. Cato maj. cap. XX.

§. 1.

### P r o o e m i u m.

**E**t si multos fore praevidebam; qui cum hujus libelli inspexerint titulum, vanam et fructu carentem me collocasse operam in eo conscribendo autument, id ipsum tamen non passus sum a tractando argumento me retinere, ad quod variis rationibus adducebar. Namque cum intelligerem, humanis legibus et suo officio medicum deesse, si iis, qui morti propinquui sunt et extremae collectationis acerbitatem leniri cupiunt, auxilium non praestet, nihilominus in libris, quibus de ope miseris illis ferenda edoceri studebam, hanc materiem aut prorsus omissam, aut leviter certe tractatam inveni. Quod eo magis miratus sum, quo antiquiorem illa haberet ab auctoritate Baconi Verulamii<sup>a)</sup> commendationem, qui „nostris, inquit, temporibus medicis quasi religio est, aegrotis, postquam deplorati sint, adsidere; ubi meo judicio, si officio suo atque adeo humanitati ipsi deesse nolint, et artem ediscere et diligentiam praestare deberent, qua animam agentes facilius et mitius e vita demigrent. Hanc autem partem, inquisitionem de euthanasia exteriori (ad differentiam ejus euthanasiae, quae animae praeparationem respicit) appellamus, eamque inter desiderata reponimus.“ Quamvis vero non tantum mihi tribuam, ut illi desiderato meam operam satisfacere posse existimem, saltem fore spero, ut illi, quibus inutilem laborem suscepisse videar, in hoc summi viri judicio electi argumenti excusationem inveniant. Evidem medici curam cum ad omnem humanam vitam, tum ad extrema ejus momenta pertinere existimavi, et si qua ratione ea, quae hominem

tunc torquent, leniri queant, miserum adjuvare, eo gravius officium duco, quo minus concessum est morienti, ut eorum, quae jure suo sibi exposcere possit, praestandorum curam gerat. Qua mente cum a multis egregia ad levandos moribundorum dolores consilia esse lata cognovissem, quae vel in singulis libellis, vel alibi dispersa leguntur<sup>b)</sup>, ista colligere collectaque ita disponere studui, ut haec disputatio etiamsi novitate rerum non placeat, certam tamen quandam utilitatem iis habere possit, qui illis consiliis commode uti velint.

a) FRANC. BACONI BAR. de VERULAMIO opp. Francf. ad M. 1665. de augment. scient. I. IV. cap. 2. p. 108.

b) Praecipui scriptores nominandi fere sunt sequentes: JO. DAN. MAJOR disquisit. med. de moribundorum regimine. Kilon. 1685. — GE. DETHARDING disp. med. de mortis cura. Rostock. 1723. — MICH. ALBERTI (resp. Schulz) diss. de euthanasia medica. Hal. 1735. — ID. (resp. Hennig) diss. de dysthanasia medica. Hal. 1735. — C. G. LUDWIG oratio de officio medici erga moribundos, ms. Jul. 1759. hab. in *Adversar. medico-practic.* vol. III. p. I. Lips. 1772. p. 169. — NICOL. PARADYS oratio de suðavacca naturali et quid ad eam conciliandam medicina valeat. Lugd. Bat. 1794. — Medical histories and reflections vol. III. by JOHN FERRIAR. London 1798. p. 191. — Entwurf einer allgem. Therapie von JOH. CHRIST. REIL. Halle 1816. p. 560. — C. SPRENGEL instit. med. tom. VI. p. I. therap. gener. Lips. 1816. p. 288. — D. GE. KIESERS System der Medicin, Bd. II. Halle 1819. p. 830. — Lexic. medic. oder allgem. Wörterb. der ges. Med. von DR. AEG. FR. HECKER. Bd. III. Abth. II. Gotha 1822. p. 453. — C. F. H. MARX de euthanasia medica prolusio. Gotting. 1826. germanice iterata in *Heckers litt. Annalen der ges. Heilk.* 1827. Bd. VII. p. 129. — FR. KESSLER diss. de euthanasia med. Berol. 1828. — SAM. GLIEB. VOGELS medic. diagn. Untersuchungen. Th. II. Stendal 1831. p. 48 et 285.

## §. 2.

### *De variis moriendi formis.*

Prius autem quam ad ipsam rem transeamus, paucis videndum erit, quinam ex morientibus nostro auxilio egeant. Licet enim omnem quidem expositionem causarum mortis a nostro argumento alienam esse censemus, eam tamen, quoad illustrandis ejus formis inservire possit, nos attingere oportet. Atque mortis duae species sunt, quarum altera in hominibus obtinet, qui per necessitatem quandam cunctis animantibus impositam fato defunguntur; altera iis propria est, qui fortuita causa organismum laedente exspirant: mortem necessariam seu naturalem illam, hanc praeter naturalem

seu fortuitam nuncupant. Dum enim alii senectute confecti ex nulla alia causa obeunt, nisi per mutationem, quam ad perpetuas naturae leges ipsorum corpus progredienti aetati convenienter subiit, alii contra curriculum, quod organismo humano emetiri concessum est, non absolvunt, sed vi vitali praeter necessitatem a vita impositam v. c. morbis, animi commotionibus e. s. p. destructa, ante diem pereunt. Quum mortis illa species, quam naturalem nominavimus, admodum placida sit et talis, qualem unusquisque vel propterea sibi exoptare debeat, quod in hoc limite constitutus vitae munere satis frutus sit, euthanasiam physiologi eam appellaverunt. Lento enim gradu mors accedit, ad quam omnes partes senilis corporis sensim sensimque rigescentes praeparantur, et dum extremae inertes redundunt, ea organa, quae gravioris momenti in sustentanda vita sunt, cor inquam et pulmones, debilitantur et agere desinunt, donec homo somno profundiori sepultus exspirat vitamque amittit, qua tandem per inertiam sensuum parum gavisus erat. Praetermittentes autem animi senilis constitutionem, qua fit ut imminentis vitae jactura ille minus commoveatur, cunctas corporis partes tam aequabili modo sistere paulatim actionem animadvertisimus, ut omnes turbae ab extremis vitae momentis absint. Hac igitur rerum conditione medicus omni corporis morientis cura, quam ipsa in se suscepit natura, se abstinere debet, id unum prospiciens, ne quid agatur, quod senis quietem turbare possit.

Quodsi ad alteram mortis speciem, illa longe frequentiorem, animum advertimus, qua morbis, vulneribus, animi commotionibus aliisque rebus noxiis vita intercipitur, triplici modo id fieri posse constat; quam divisionem de necessitate auxilii medici visuros cognoscere oportet<sup>a)</sup>. Vita enim corporis adhuc vegeti, quod nulla labe afflictum esse videbatur, aut subito extinguitur, ita ut transitus ad mortem brevissimus sit, aut morbo corpus lente depascente ita solvit illa, qua vita constabat, consensio actionum, ut aequabili modo omnes sensim sensimque cessent, et vita juxta tranquille desinat, ac supra, cum de morte naturali sermo esset, exposui. Tertia mortis ratio in eo versatur, quod vita corporis tarde quidem extinguitur, sed inertia, ad quam singulae partes rediguntur, concitatori reliquarum partium actioni non respondet; unde harmonia, quae corporis partibus intercedere debet, laeditur, et turbae orientur necesse est, quae saepe

universa demum morte finiuntur. Sed de singulis pauca dicenda sunt. Quod ad illam mortis rationem attinet, quam primo loco posuimus, eos commemorasse sufficiat, qui vulneribus cor conjunctaque ei vasa penetrantibus pereunt, porro homines aetate proiectos, qui apoplexia correpti saepe tam cito interimuntur, ut status valetudinis brevissimo tantum intervallo a morte distet; illos denique, in quorum corpore vitium latet, quod cum hactenus praetervisum esset, vitam subito destruens primum se prodit; quale est exemplum celebris Francogalli Fourcroy, qui dum negotiis vacabat, repente exclamans „mortuus sum“ exspiravit. Neque desunt exempla, quibus morbi hac ratione vitam destruunt, ut eam lente quidem extingui, sed obitum haud difficultem omni actionum corporis luctatione carere observemus; ut iis interdum evenit, quos sphacelus ab inflammatione relictus cum quodam regressae valetudinis sensu leto dat; aut qui corpore tabe consumito defunguntur. Quorum quidem placida mors, quam suavia interdum deliria praegrediuntur, adeo arrisit Kiesero, ut ad comprobandum suam doctrinam, quam de dispositione morbosa dedit, eam adhiberet, et expurgationem vel illustrationem, qua corporis moles praevalente sublimiori vitae parte solvatur (*eine Verklärung des irdischen Lebens, Auflösung des Niederer im Höheren*) nominaret; cui mortis id genus oppositum sit, quo vita morbis deleatur, humilique sublime intereat (*ein Untergehen des Höheren im Niederer*<sup>b</sup>); in qua expositione hoc unum dolendum est, quod simplicis veritatis amantes suam splendore sermonis praestringi mentem sentiant, et veriti, ne ab erroribus circumveniantur, hanc, quae sublimiora tendit, viam ingredi non audeant. Sed redeamus ad rem nostram. Facile intelligitur, medici auxilium neque requiri, cum vitae filum subito abrumpitur, neque illos, qui tranquillam mortem obeunt, levatione malorum indigere, sed his tantum opem ferendam esse, qui, cum ad extremum ventum sit, turbas corporis perpetiuntur. De quo morientium statu, quem Anschel *incitatum* appellat, nos *dysthanasiae* nomine insigniamus, jam sermo erit.

a) Die Physiologie als Erfahrungswissenschaft, Bd. III. bearbeitet von K. Fr. BURDACH.  
Leipzig 1830. p. 557 et 611 sq.

b) KIESERS Syst. d. Medic. Bd. I. p. 740 sq.

## §. 3.

*De causis dysthanasiae.*

Dum de laboribus, quos moribundi perpetiuntur, expositurus sum, non id mihi sumo, ut quibus explicandis Bichat se minus idoneum existimavit, id ego, causas symptomatum in lente morientibus obviorum explorans, perficere velim; ad quod absolvendum opus neque doctrina de morte a physiologis satis exculta esse videtur, neque experientia mihi suppetit, unde supplere possim, quae de transitu morborum in mortem scriptores omisere: frustra enim de ea re tum Salomonis Anschel librum<sup>a</sup>), tum multos alios, qui in eodem argumento versantur, perlegeris. Quamvis autem Bichat ipse, quae de causis moriendi disserit, symptomatis, quae in morte a morbis adducta observentur, explicandis non sufficere profiteatur, eorum tamen multiplices formas in certos quosdam ordines illius expositione usis redigere liceat, cum vix invenias, quem meliorem ducem ad illustrandam hanc rem, maxima obscuritate implicitam, sequaris<sup>b</sup>). Quantumvis enim inter se differant symptomata, quae advenientem mortem comitantur, qualia sunt suffocationis metus cum pituita in bronchiis collecta, anxietas, deliria, deliquia mentis, sudores frigidi, arteriae inaequaliter pulsantes, collapsa cutis ejusque calor a regula aberrans e. s. p., ea omnia nisi ad morbum, qui mortem adduxit, propius pertineant, a deficiente vel pulmonum, vel cerebri, vel cordis actione derivare possumus. Nam Bichat, et qui eum sequuntur, mortem triplici modo procedere posse affirmant, et istos moriendi modos nominibus *apoplexiae*, *suffocationis* et *syncopes* insigniunt: in apoplexia primum cerebri, dein pulmonum et denique cordis vita extinguitur; suffocatione pereuntibus mors a pulmonibus incipit, ac per cerebrum ad transit; in syncope denique primum cor actionem sistit, unde cerebrum et pulmones vita privantur.

Quod autem Bichat ait, plerosque morbos universam vitam ita extinguere, ut primum pulmonum tollant actionem, qua desinente reliquarum partium vita deleatur, id non solum ex laesa respiratione, cui morientes frequentissime obnoxii sunt, potest probari, sed etiam ob magnam propinquitatem ad morbos, qua eadem organa praedita sunt, credibile est. Quum enim pulmones non solum ex functioni ratione reliquis organis arte conjuncti sint et consentiant, sed etiam per compagis teneritatem facilissime

contrahant vicia; morbi quoque letales inter ea organa, quae actionis vitalis quasi centrum sistunt, primos pulmones vita privant. Quae enim similem in organismo dignitatem sustinent, cor et cerebrum, ita constituta et posita sunt, ut actione sua reliquis partibus praevaleant, et ab iis minus dependere possint; quod nisi ex aliis causis demonstrari posset, inde pateret, quod pulmonum morbi cordis cerebrique morbos frequentia longe superent. Ex necessitudine autem, quae pulmonum reliquarumque partium functionibus intercedit, facile intelligitur, qua ratione pulmonum mors reliquam corporis vitam extinguat, quoniam compertum habemus, sanguinem, qui oxygenium in pulmonibus non imbibit, cum omnia organa, tum cor et cerebrum inepta suis functionibus reddere; quo facto vitam extingui necesse est. Sed haec non sine collectatione fieri solent. Quum enim agendi vis et facultas percipiendi admodum varient et inaequali modo inter singula organa divisae sint, sive a praegresso morbo haec diversitas relictam sit, sive a constitutionis vitio pendeat, alias partes facilius succumbere, alias contra diutius universae morti resistere posse patet. Hinc non raro accidit, ut retardata respiratione sanguis in pulmones congeratur, cor dextrum oppleat, atque niger justaque oxygenii copia destitutus organis languido flumine impertiatur. En status, a quo multa, quae moribundi exhibere solent, symptomata proficiscuntur. Congestus enim in corde sanguis summam anxietatem creat; a repletione pulmonum pituita in bronchiis colligitur, quam moribundus tussiendo removere molitur, sed per inertiam illarum partium exscreare nequit; omnes vero musculi, qui ad movendum pectus aliquid facere possunt, ad dilatandum ejus ambitum concitantur. Qui cum partim humero et scapulae adjuncti sint, explicari posse videtur, quod moribundi brachia paulum pandiculentur; id quod inter certissima appropinquantis mortis signa Ferriar refert. Dum porro sanguis ater, qui in pulmonibus naturalem elementorum mutationem non expertus est, per arterias defertur, extremae corporis partes frigere incipiunt. Quae quidem laesae respirationis symptomata complectenti Boerhaavii sententia de multis certe casibus valere videbitur, peripneumoniam fere fieri ex omni alio praegresso, antequam ex eo moriatur aeger: adeoque proximam mortis causam, et ultimum ferme omnium letalium morborum effectum esse peripneumoniam<sup>c)</sup>; quamvis Anschel huic sententiae improbandae multam navet operam<sup>d)</sup>, qui vero

respicere non videtur, Boerhaavio latius quam nobis peripneumoniae notionem patere, neque hanc ei mentem esse, ut generalem mortis causam, quam ille intrudit, istis verbis contineri velit. Sed corpus non diu in hoc statu consistit, propterea quod sanguis ater cordi et cerebro communicatur; quibus ita debilitatis, mentis turbae oboriuntur, cordis arteriarumque motus percipi vix possunt; omnis a partibus turgor cedit, vultus oris resolvuntur, cutis iners humorem viscidum transmittens sudore frigido madet, donec vita omnis aufugiat.

Raro accidit ut universa mors a corde initium capiat, quod ipsa vulgi opinio indicare videtur, qui extremo cordis motu omni corpore vitam cedere existimat. Imo plurimi hujus organi morbi, postquam alia plerumque organa infirma sunt reddita, mortem adducunt, dum ex illis unum suam actionem sistit. Si vero cordis ipsius vita primum extinguitur, aegroti placide et exspectatione citius exspirare solent. At hanc mortis formam, qua cordis actio primas partes agit, non plane possumus praetermittere, quin symptoma quoddam commemoremus, quod in iis, qui cordis morbo pereunt, frequenter observatur: est illud lipothymia, quae mōrbo ad finem vergente syncopes aut lethargi speciem saepe induit. Homines enim ita affecti per complures dies cum morte collectantes jacent, maxime defatigati captos sopore mentiuntur, neque potum assumunt, ita ut sui conscientiam perdidisse videantur; sed resurgunt denique et mentis compotes, quae interea perpessi sint, enarrant<sup>e</sup>). De vera syncope, quae instantem mortem comitatur, cum et raro observetur, neque ad augendos aegroti labores multum faciat, reticere posse mihi videor.

Quum motus sanguinis et respirationis munus actioni cerebri minus pareant, sed nonnisi aliis intercedentibus organis ab hac dependeant, ea, quibus cerebrum obeundis suis functionibus impar redditur, non eadem celeritate universam vitam delent, ac per gravitatem hujus organi expectare licebat. Sin autem a cerebri extinctione mors totius corporis originem trahit, homo sui conscientiam et mentis usum amittit, sensus deperduntur, musculi, quorum actio voluntati subjecta erat, ad spasmos incitantur, aegroti tetano corripiuntur vel convulsionibus moventur, festucas colligunt e. s. p., aut iidem paralysi afficiuntur et immoti jacent; inter reliquas corporis partes primi sphincteres resolvuntur; faciei cutis et qui ei sub-

jacent mūsculi collabuntur; unde facies Hippocratica pendet. Imo quum circulo sanguinis non interrupto cerebrum suis functionibus non praesit, ad tantam saepe inertiam omnia rediguntur, ut humores putrescant, membra frigeant et maculis lividis tingantur, sanguis e naribus destillet, atque spiritus male olens et frigidus e pulmonibus exeat<sup>f</sup>). Qui status usque perdurat, dum organismi destructio ad pulmones et cor propagatur; quo facto animam homo reddit.

- a) SALOMONIS ANSCHEL thanatologia sive in mortis naturam, causas, genera ac species et diagnosin disquisitiones. Goetting. 1795.
- b) Recherches physiologiques sur la vie et la mort; par XAV. BICHAT. Paris 1805.
- c) Aphorismi de cognosc. et curand. morbis dig. ab HERMANNO BOERHAAVE. Lugd. B. 1709. aph. 874.
- d) I. c. p. 42.
- e) Die Krankheiten des Herzens bearb. v. Dr. FR. LUDW. KREYSSIG. Berl. 1814. Th. I. p. 212. sq.
- f) DR. LEOP. ANT. GOELIS pr. Abhandl. über die Krkh. des kindl. Alters. Bd. I. Von der hitzigen Gehirnhöhlen-Wassersucht. Wien 1820. p. 48.

#### §. 4.

##### *Quae ad variandas has dysthanasiae formas conferant.*

Ne vero quis credat, me hanc symptomatum divisionem ita censere, ut unam mortis formam reliquarum symptomata ubique excludere putem, quum potius haud raro mixta ea deprehendamus et morte a pulmonibus incipiente saepe videamus cerebrum vel cor mox perdi, aut desinentibus cerebri actionibus vitiatam statim respirationem jungi e. s. p. Quod partim a diversitate roboris pendet, quo singula organa vitam tueri valent, partim a ratione, qua morbi illas partes ad inertiam redigunt. Quum enim quodvis organon ex variis partibus compositum et conflatum sit, variae viae patent, quibus corporis vitia mortiferam vim in illud exserere possint; unde mortis ratio variet necesse est, ut in illa moriendi specie, quae a desinente cordis motu pendet. Scilicet constat, homines, qui cordis vitio laborant, ad extremum usque vitae momentum incolumi cerebri actione frui: at si qui nimia sanguinis jactura pereunt, licet per sublatum cordis motum exspirent, cerebri tamen turbationes, ut deliria et convulsiones,

lipothymiis junguntur et obitum difficilem reddunt, propterea quod inopia sanguinis non solum cordi, sed etiam statim cerebro noxam infert. Quam distant porro symptomata paralyseos muscularum, qui respirationi inserviunt, ab illo statu, quo ab ipsorum pulmonum inertia mors initium capit, quamvis in utroque casu ejusdem functionis cessatio universam mortem adducat. Imo multum probabilitatis inest sententiae eorum<sup>a</sup>), qui hanc Bichati expositionem non sufficere ajunt, et resolutionem humorū, paralysin aliarum partium aliaque inter causas mortis enumerant. Quis enim Reilio non consentiat quaerenti, annon paralysis hepatis, qua omnem hydrogenii excretionem prohiberi putat, sufficere possit ad mortem integro corpori inferendam, qui porro fiat, ut gangraena angustis saepe finibus circumscripta hominem vita privet<sup>b</sup>)?

Sed missis his similibusque dubitationibus; multum etiam interesse discriminis constat inter speciem mortis, quae corpore viribus valente aut iisdem exhaustis contingit; de qua diversitate nunc dicendum est. Compertum scilicet habemus, organa non solum vera debilitate vel inopia eorum, quae ad sustinendam vitam opus sunt, vita privari, sed hanc quoque extingui posse, dum singulae, quibus constabat, vires stimulo quodam alieno opprimuntur. Quod quidem cum in omnia cadat organa, a quorum laesione universam pendere mortem supra exposui, tum in iis hominibus, qui apoplectici pereunt, maxime considerandum est. Discrimen enim, quod inter apoplexiā a virium suppressione eandemque a virium debilitate intercedere docent, non solum si proprium constituit morbum, obtinet, sed etiam de ea, in quam alii morbi desinunt. Exemplo utar typhi contagiosi, qui saepe accidente apoplexia vitam interimit<sup>c</sup>): alii quidem aegroti signa exhibent encephalitidis et congesti ad cerebrum sanguinis, faciem rubentem et tumentem cum prominentibus oculis, animi stuporem, resolutionem membrorum; in aliis contra facies pallet et collabitur, oculi lubrici sunt, sphincteres ani et vesicae resolvuntur, extremae partes frigent, pulsus exiles et inaequales sunt etc.; quae omnia ingentem vis nerveae debilitatem et cerebri resolutionem indicant, dum in illis actionem cerebri a congesto ibi sanguine et nimio ejus impetu opprimi oppressaque deleri intelligitur. Huic descriptioni paene convenit accidentis mortis imago, quam in iis, qui febre lenta nervosa pereunt, Huxham<sup>d</sup>) observari refert: descripto enim statu

eorum, qui cerebro per debilitatem extincto obeunt, alios addit' universalis corripi convulsione, quae uno impetu vitae rumpat filum; et commune omnibus, qui hac febre lenta laborant, symptoma esse dicit, quod approximante morte hebetes sint oculi et aures. Sed non uni huic morbo illa sensum hebetudo propria esse videtur, cum multi moribundi, dum mente bene constant, de caligine oculos obducente querantur, et quae circa sunt, ut collustrentur optant.

Has, quibus moribundos excruciali dixi, molestias aliae saepe praecedunt et comitantur, quae minus a cessatione illarum functionum, quam ab eo morbo pendent, qui mortem adduxit, et in libris nosologicis accuratius descriptae leguntur. Sed quaedam ab isto fonte profecta mala, quae labores mortis satis frequenter intendunt et pluribus morbis communia sunt, hic recenseri merentur. Sunt ea gangraena a cubitu in iis corporibus orta, quorum vel nervi torpescunt, vel sanguis humore putescente inquinatus est; porro spasmus muscularum, qui ad functiones organicas pertinent, ut singultus aliquie haud raro in morientibus obvii. Denique nominandi sunt dolores, perpetui illi multorum malorum comites, quales e. c. in carcinomatate uteri observantur, qui saepe extincto demum omni corporis sensu cessant et supremam horam gravem reddunt.

A quacunque autem parte mors incipiat, placidius illis, qui vi vitali a stimulo quodam alieno oppressa pereunt, ii exspirare solent, quibus ex virium defectu organon quoddam perditur, si praesertim reliquae partes ejusdem debilitatis participes sunt. Ex quo quidem virium statu nonnulla, quae scriptores de praevienda mortis ratione monent, explicari possunt. Quodsi enim Paradys dicit, difficilem obitum frequentius in acutis morbis observari quam in chronicis, nisi sub exitu ii ipsi in acutos mutati fuerint: eadem fere, quam nos dedimus, explicatione utitur. Et Rahn<sup>e</sup>) dicens, infantum et senum mortem placidam plerumque esse, adultorum contra gravem, hanc causam addit, quod infantes non satis sui consciit mortis labores minus sentiant, senum vero corpus adeo decrepitum et debile sit, ut sine collectatione solvi possit. Etiam Anschel praecipue de lentis morbis cogitasse videtur, cum placidam mortem non solum in senectute sed etiam in morbis, visceribus maxime vitalibus haerentibus, plerumque evenire scriberet. Marx temperamentorum rationem habens, sanguineo et cholericu-

praeditos a mortis lucta melancholicis et phlegmaticis vehementius commoveri putat<sup>f</sup>). Si vero quid est, unde discere possimus, qualis exitus letalium morborum futurus sit, utrum placida mors an laboriosa, in accurate morborum cognitione positum est, quam medicus diligentes eorum descriptiones proprio usu et experientia supplendo sibi comparat.

- a) Das System der Medicin im Umrissse darg. v. Dr. Fr. A. B. PUCHELT. Th. I. Heidelberg 1826. p. 84.
- b) REILS allgem. Therapie p. 570.
- c) JOH. VAL. EDLER von HILDENBRAND über den ansteckenden Typhus. Wien 1810. p. 158. sq.
- d) JO. HUXHAMI opp. Ed. cur. Alb. Fr. Haenel. Lips. 1829. p. 408. de febribus lib. c. VII.
- e) Exercitationum phys. de causis sympathiae septima aut. Jo. HNR. RAHN. Turici 1794. euthanasiae et dysthanasiae causas physicas accuratius disquirens. §. 11.
- f) MARX I. c. p. 14. ANSCHEL I. c. p. 209. PARADYS I. c. p. 10.

### §. 5.

*Refutantur ii, qui omnes moribundos sensu carere putant.*

De facultate sentiendi et statu mentis, qui in morientibus locum habet, nonnulla dicere, a nostra re haud alienum est, ne incurrere in reprehensionem eorum videamus, qui ab auxilio moribundis ferendo abstinentur esse credunt, propterea quod anima e corpore discessura ita disposita sit, ut a doloribus et cruciatu, quo corpus afflictum videamus, omnino non tangatur. Cum enim ii, qui asphyctici diu jacebant, expergefacti denique, se absque ullo ingratu sensu, imo dulci quodam et demulcente sopore captos conscientiam perdidisse enarrarent, nonnulli sibi persuaserunt, esse communem omnium morientium hanc sortem, ut sentiendi facultas mox cesseret, et malorum, quibus corpus afficiatur, animus particeps non sit; quare omnes, quae in moribundis observentur, turbae sensum non lacescant, sed impedian modo, quominus sopor perpetuus hominem irrepat. Quam sententiam Ferriar fovens omnia, quae de cura morientibus impendenda praecipi possint, hac una regula complectitur „noli eum turbare neque sollicitare, qui vita excedit,“ eamque ita exerceri jubet, ut ne potus quidem, quo arescentes fauces madefiant, porrigidus sit, neque situs mutandus, si forte minus illi commodus fuerit<sup>a</sup>). Recte quidem, si de iis,

qui fato senili obeunt; sermo est, vel omnino de placida morte. Neque negaverim, esse qui sub finem vitae animo ita destituantur, ut dolores vix sentiant; alios contra mentis quidem compotes esse, sed vinculis, quibus cum corpore connexus erat, jam paene resolutis, collectationem quae in illo saevit, animum neque sentire, neque ab ea commoveri. Sicuti autem alios morbos aegroti facilius ferunt, alios difficilius, imo ab eodem morbo homines secundum animi constitutionem varie commoventur, ita labores etiam, quibus corpus affligitur morientis, animum vario modo afficere videntur. Cujus diversitatis summa ratio in eo posita est, quod mors non eodem semper ordine procedit. Si enim vita cerebri, quod sensus interni instrumentum est, primum exstinguitur, doloris aliarumque molestiarum perceptio oculis cessat, quae contra diutius remanet, ubi universa mors ab alio quodam organo incipit. Exemplis, quae mentem ad extremum usque halitum constitisse probant, vix opus est, ex quibus unum modo afferamus feminae ejusdam, quae instantे morte ex medico quaesiit, an insolitum quoddam, quod ipsa sentiat, mortis indicium sit, tum, ita est, inquiens, nam pedes frigescere sentio<sup>a</sup> hos calefieri jussit, et arteriarum pulsationem, num qua adhuc percipiatur; exploratura animam reddidit<sup>b</sup>). Imo qui moribundos diligenter observaverit, oculorum intuitu saepe exprimentes, quod voce amplius non possunt, nescio qua alia reprehari velit, plurimos, dum moriuntur, sui consciens esse, et revera sentire, quae corpus perpetitur. Quamvis igitur multum jucunditatis in cogitatione sit, moribundos molestiarum corporis expertes esse, illi tamen non adeo indulgendum est, ut curam, quam iis geramus, inutilem, imo noxiā putemus, persuasi potius, etsi ex multis nonnulli sint, qui nostra opera carere potuissent, quod omnibus frustra non adhibeatur.

a) Eadem agendi ratio commendatur a W. GFR. PLOUQUET: Pathologie mit allgem. Heilk. in Verbindung ges. Tuebingen 1798. p. 322.

b) vid. REIL l. c. p. 573.

### §. 6.

#### *De sopore moribundis per medicamenta inducto.*

Dum vero ad alia quaedam transeo, quae a curatione morientium abesse debent, erunt forsitan mirentur, quod consilium jam diu impro-

batum, in gravi exspirantium collectatione mortem accelerandi, hic retractatum inveniant. Neque hujus disputationis fini convenire puto, ut mores illorum reprehendam, qui superstitione vel inscitia ducti moribundis bene se consulere credebant, si iis spiritum naribus compressis paecluderent, vel eos versantes aut cervical subtrahentes suffocarent, in qua consuetudine reprehendenda Questelius olim desudavit<sup>a</sup>). Quum autem ab hac agendi ratione quisque teneroris animi abhorrire debeat, aliqui tamen medici opinionem tuiti sunt, licere, ut cujus mala alio modo leniri nequeant, vitam consopiente medicina extinguamus. Quo istud, quod Kortum suasit, consilium pertinet, ut phthisicorum collectatio cum morte, quae terribilis saepe sit, propinatis Iaudani liquidi guttis viginti, sufficientibus quippe ad extinguidam debilem vitae flammulam, imminuat<sup>b</sup>). Etiam Mursinna profitetur, ordinato opio se dolores hominis, qui carcinomatē linguac excruciantur, multum levasse et finem accelerasse vitae<sup>c</sup>). Sed quamvis haec agendi ratio bona mente ab illis viris suscepta sit, plausum tamen nostrum ferre nequit, propterea quod neque vitae, dolorum quidem plenae detrahere momentum nobis licet, neque de fine morborum adeo certi esse possimus, ut de reditu melioris status ubique desperandum sit. Nam inauditum non est, homines, quibus mors proxime instare videbatur, revixisse, et aliquod temporis spatium imo totos adhuc dies bona cum mente et dolore libertos transegisse, donec placida mors eorum corpus resolveret. Itaque semper metuendum est, ne homo, cujus mors praecipitatur, extrema vitae parte, quam sui conscius vivere poterat, privetur et tempus amittat, quo ad gravissima negotia obeunda opus erat<sup>d</sup>).

Humanis quidem legibus convenientius est illud, quod Aretaeus praecepit<sup>e</sup>): medico probo quamvis indignum fore, aegrotum ita dolore cruciatum, ut vel mori beatum sit, e medio tollere; nihilominus licere, ut eum, quem alia ratione malis liberari non posse satis constat, sensibus sopore devinctis dolores non percipere faciat. Et ex iis scriptoribus, qui nuper hoc argumentum tractarunt, plurimi eandem sententiam amplectuntur. Quamquam vero usum eorum medicamentorum, quae narcoticis adnumerant, in morientibus non rejiciendum puto, cum ad avertendas multas moribundorum molestias potentissima ea nobis esse remedia infra demonstrandum sit, comprobare tamen nequeo, ea sic adhiberi, ut aeger mente dejiciatur,

et sui conscientiam, si qua superest, perdat. Cum enim somnus a morte hoc uno differre dicatur, quod ex hac homines non reviviscunt, ex illo autem rursum expergiscuntur, nescio quae diversitas inter somnum, qui morientibus per medicamenta inducitur, et mortem intersit, nisi quod hujus initium ille constitutus; eumque si adducere conamur, hominem mentis et conscientiae usum extremis vitae momentis destituimus, atque sui conscientia quid optabilius potest homini esse? Eadem igitur, quae nos mortem propinquam accelerare vetat, prohibemur ratione, quominus moribundorum consopiamus sensus et animum, aliaque auxilia quaerere, quae mortis luctam sedare possint, cogimur.

- a) CASP. QUESTELII diss. jur. de pulvinari morientibus non subtrahendo. Edit. III. Jen. 1698.
- b) HUFELANDS Journ. der pr. Arzneik. Bd. X. 1800. St. 2. p. 38.
- c) Journ. für die Chirurgie, Arzneik. u. Gebh. von CHR. L. MURSINNA. Bd. I. 1801. St. 3. p. 469.
- d) Etiam veteribus ita visum esse, testatur locus in GE. WOLFG. WEDELII opologia. Jenae 1674. I. II. sect. III. c. 3. p. 143.
- e) De curat. acut. morb. lib. II. cap. V. Vid. ARETAEI CAPPADOCIS opp. omn. Ed. Kuehn. Lips. 1828. p. 271.

### §. 7.

#### *De praecavenda dysthanasia.*

Medicus qui ex praesenti morbi statu futurum ejus exitum recte praenovit, non solum curationem illorum, qui sanitatem recuperaturi sunt, optime molietur, verum iis quoque, qui conservari non poterunt, prospiciet, ut placide diem supremum obeant. Sed maxime dolendum est, medici vel peritisimi scientiam causas morborum abditas et naturam ita non penetrare, ut de eorum exitu certum judicium ubique ferri queat, cum aegrotos, qui mortem aufugere non posse videbantur, a natura, saepe conatus et spem nostram longe superante, conservari videamus, alii contra, quos restitutum iri credideramus, morti inopinatae succumbant. Quodsi cognitio futuri morborum exitus firmis ubique argumentis niteretur, neque tam facile nos falleret, aegrotos multum juvare possemus, omittentes partim, quaecunque ad restituendam valetudinem frustra adhibentur morbiisque incommoda adaugent, partim ea, quae consiliis medendi inepta quidem, sed aegroto grata jucundaque esse possint, concedentes. Quamvis enim mali medici et negligentis esset, aegrotum, de cuius restituzione ambigit, fortis fortunae committere et minimam, si qua restat, salu-

tis spem abjicere, nihilominus ii reprehendendi sunt, qui hominem, cui inevitabilis imminet mors, remediis aequo injucundis ac nil profuturis torquent. — Praeterea medici diligentia ex aliis rationibus requiritur. Nam quum supra indicaverim, eos a dysthanasia excruciali, a quorum singulis organis non aequabili modo vita recedit, sed qui per partes moriuntur, consiliis prudenter ineundis nos moliri oportet, ut virium modus, quo singula organa ad sustinendam vitam jungantur, se aequiparet, neque alterum altero prius cedat; quo id effici posse intelligitur, ut cunctae partes eodem tempore ab obeundis munieribus desistant et labores mortis praecaveantur. Sed qua via illud consequi possimus, difficile inventu est. Behrends ait, morbum sibi ipsi commissum indole, ordine et iudicatione regulam facilius cognoscendam sequi, et si eo pereat aeger, placidiorem esse mortem, quam cum morbi natura medicamentis tentata fuerit<sup>a</sup>). Atque suspicari omnino licet, inexplicabilem illam, quae organismo insita est, integrum et ad perficiendas vitae actiones aptum se conservandi potestatet etiam tunc non omnem cedere, cum mors proxime instat. Ut enim gravissima organorum vitia satis diu absque incommodis ferri possunt, ita si cuius partis functio appropinquante morte inhibetur, reliquas eam compensare eique accommodari verisimile est, dum tota denique organismi compages lente et placide solvatur. Sed multa tum in ipsa corporis constructione posita sunt, quae naturae, quominus hanc viam ubique ingrediatur, obstant, tum medicorum saepe, qui aegroto auxilium ferre, in primis medicinam analepticam porrigentes, student, culpa est, quod corpus quiete, quae sola ei conduceret, frui nequit. Cui sententiae etiam Paradys annuit dicens: per acria certamina plerumque acutos, rarius chronicos morbos finiri, nisi sub exitu in acutos mutati fuerint, quod artis nimis sedulae saepe opus sit. Quamquam vero huic opinioni unusquisque facile subscribet, ista tamen regula ita non accipienda est, ut quemvis, qui certae morti destinatus sit, nulla medicina egere putemus. Ut omittamus enim, quod aegrotorum fidei aliquid concedendum sit, qui medici praecriptionem sponsonem salutis habent, multa quoque exstant auxilia, quibus tum praeentes molestiae leventur, tum a futura mortis lucta organorum actiones arceri queant. Dum enim nostra opera naturam adjuvare studemus, modo systematum nimia agilitas reprimenda, modo ea, quae tensa sunt, relaxanda, alia contra refocillanda sunt, quo faciem et turbis carentem a natura impetremus cessationem vitae. Quod quidem

nos interdum medicamentis consequi posse, Goelis testatur, qui observavit, infantes encephalitide acuta correptos placide et sine spasmis exspirare, si extremo tempore, quo cerebrum ab effusis humoribus torpet, exclusa omni irritante medicina potus mulcens ex herba digitalis paratus iis propinatus sit<sup>b)</sup>. Quaerenti autem, quae consilia medicum sequi oporteat, ut homini, qui propinquus morti est, euthanasiam conciliet, pauca quidem sunt, quae hic moneri possint: nam cum quisque morbus propriam sibi curam expostulet, hanc materiem penitus exhaustire non valemus. In universum autem statuere licet, eam optimam esse curandi methodum, quae vitam quam diutissime proroget. Quo enim mors lentiori gradu appropinquat, eo facilius singulae partes in imminuendis vitae actionibus conspirant, gravisque earum collectatio praecaveatur. Cui fini consequendo ea remedia, quae vim sedantem et relaxantem possident, in pluribus casibus quam illa, quae excitantia et corroborantia nuncupantur, inserviunt. Cum enim nervorum vasorumque actio ab his intendantur, certamen, quod inter singula organa est, vehementius ita reddi et vires simul, quae vitam sustinere queant, celerius consumi necesse est. Neque multum recedere videatur hanc sententiam foventes a Behrendssii opinione, qui a remediis naturam morbi vehementer oppugnantibus abstinere suadet, ut supremam horam homo placidam vivat. Sed mittamus hanc materiem, quam tantum abest ut aestimemus exhaustam, ut maxime doleamus, quod tenuitas eorum, quae super ea scriptores exhibuerint, plura nobis non permiserit addere.

a) C. A. W. BEHREND'S Vorlesungen über prakt. Arzneiw. herausg. v. C. Sundelin.  
Bd. II. 1827. p. 28.

b) GOELIS I. c. p. 166.

### §. 8.

#### *De externarum rerum et diaetae regimine.*

Auxilia, quibus hominem cum morte collectantem sublevare studemus, in duas classes dividi possunt, quarum altera medicamentorum usum complectitur, altera in externarum et diaetae regimine posita est; quod quidem cum in omnibus aegrotis exercendum et unicum saepe, quod ferri queat, levamen sit, ab eo incipiamus dicere. Medicus autem etsi summa diligentia adsidueat aegroto ejusque res curet, parum tamen proderit, si ministri, familiares cognatique imprudentes et male seduli moribundo ad-

stant et consilia frustrantur. Hinc in iis eligendis et concedendo eorum usu summa cautio adhiberi debet, atque maxima attentione dignum est illud, quod Mai Heidelbergensis dederat lectionibus in usum seminarum habitis exemplum, et quod Marx alios imitari suadet, ut homines, qui ad suscipienda hujusmodi negotia vel officio suo familiari commoveri, vel mercede conduci possint, instituantur, quae et qualis cura aegrotis gerenda sit<sup>a)</sup>.

Primum autem medicus providere debet, ut corpus aegroti in ea positione sit, quae ad perferendas molestias commodissima est; quae regula praecipue observanda est, si certam corporis partem malum occupavit. Ut ii, qui pectoris morbo laboraverunt vel impeditam sub vitae exitu respirationem habent, erecto situ melius se habent, quam si supini jacent; dum contra illi, qui per molem ventris aqua distenti excruciantur, in plano paulum inclinato cubare amant, ita ut vicinae ventri partes minus comprimantur. Similis cura artibus, si ab inflammatione vel effusis humoribus tument, iisque omnino partibus, quae afflictae sunt, impendenda est; inter quas gangraenam a decubitu ortam nomino, cuius ingentes molestiae prudenti sedulitate et munditiei studio saepe multum levantur. Medicum porro videre decet, ne ingrata sint quae moribundum circumdant, ut aërem spiret purum, recens admissum et eo caloris gradu tepescentem, qualis sensui commodus est. Quum enim tabidos aliquosque, quorum mala vaporibus morbidis aërem inficiunt, aura sincera multum recreari animadvertisamus, quidni moribundi quoque reficiantur, istud vitae pabulum purum et sustentandae vitae aptissimum haurientes? Quibus oculi auresque afficiuntur, ea sic temperanda sunt, ut aegrotum non offendant; qui si ipse amplius indicare nequeat, quae sibi grata jucundaque sint, hoc tenendum est, multum interesse, utrum a virium vitalium contentione, an ab iisdem deperditis discrimen mortis pendeat. Si enim lucta vehementior inter actiones organorum obtinet, ne magis etiam ea ingravescat, removendis iis, quae corpus morientis irritent, curandum est. Ad mitigandam ejus sortem deinde confert, si quietem ei concedendam commendamus, et quae sensus irritare possint, procul arcemus, seduloque cavemus, ne splendidiores lucis radii oculos feriant vel ingrati soni aures lassent. Amici et ministri, qui circa moribundum sunt, ne inutili clamore et strepitu quietem turbent, prospiciendum, imo eorum colloquiis ita moderandum est, ut animum graviter non commoveant, sed tranquillum conservent. Alii contra aegroti etsi animo

bene constant, in mortis propinquitate de sensum hebetudine queri incipiunt, caligine circumdari opinantur, et in iis, quae sensus graviter afficiunt, sui status solatium experiuntur. Horum votis ita satisfaciendum est, ut cubiculum clariori, si fieri potest, luce collustremus, animum depresso aptis colloquii erigamus, vel auxilio musices, quam plurimi utilissimam ad hunc finem censem, studeamus exhilarare. Magnum porro adjumentum, quo sortem moribundi leniamus, in potu consistit, cuius parva copia vicibus saepe repetitis propinanda est, ut homo arescentes fauces sorbendo humectare possit, neu deglutiendo eo multum debeat laborare. Jucundissime moribundum ab aqua recens hausta refici, Osiander praecipit<sup>b)</sup>; cui obtemperandum utique est, si internae partes aestuant et arescant. Contra tepidum liquorem et medicamento quodam suscitante mixtum praferri jubemus, ubi exhaustis viribus moribundus friget totumque ejus corpus languet. Singularis etiam diligentia requiritur in iis, qui non desperita sui conscientia immoti et conspicuis vitae signis privati jacent, ita ut mortui facile haberi possint; quod iis, qui cordis morbis laborant, saepius accidere supra vidimus. Qui cum lethargo correptorum speciem referant, aure tamen percipiunt, quaecunque familiares circum agant vel loquantur, et aegerrime ferunt, si de iis, quae post ipsorum mortem fiant, sermones conferri audiant. — Sed quod superesse videri possit, et a nonnullis scriptoribus ad euthanasiam adnumeratur, de discrimine inter mortem et asphyxiā ejusque cura disserere, id omittendum esse censui, ne argumento, quod in omnibus therapiae libris satis tractatur, hanc dissertationem ultra praescriptos fines extenderem.

a) Huc pertinet BERENDS diss. de cura, quam moribundis debent, qui aegrotorum sunt a ministerio, Francof. ad Viadr. 1790, cuius Sundelin in Behrends Vorles. Bd. I. p. 318. mentionem injicit.

b) Volksarzneymittel von Dr. Joh. Fr. OSIANDER. II. Aufl. Tübingen 1829. p. 5.

#### §. 9.

#### *De usu remediorum in moribundis.*

Venimus denique ad ea, quae praeter diaetae rerumque externarum regimen ad leniendos mortis cruciatus adhibentur. In quarum enumeratione ut ordinem quendam sequamur, repete liceat, symptomatum, quae in moribundis observantur, duas causas esse: partim enim ab inaequalitate pendent, quae singulae partes languescunt, partim morbis, qui mortem adduxerunt, propriā

sunt. Haec quibus remediis oppugnari debeant vel certe mitigari possint, quisque ex cognitione morbi, a quo profecta sunt, judicet necesse est, neque idem symptoma ejusdem semper medicamenti usum postulat. Exempli loco medicamenta consopientia nominare placet, quae vel ad leniendos dolores vel ad sedandos spasmos usurpantur et aegroto, qui in extrema vita his malis torquetur, unicum solatium parant. Inter quae etsi opium primas partes teneat, contra dolores, qui cum carcinomate uteri conjuncti sunt, acidum hydrocyanicum praeferriri solet, dum in aliis morbis hyoscyamus, cicuta aliave majorem commendationem habent. Neque timendum est, ne homo iis usus turbas patiantur mentis, cum nobis constet, haec medicamenta, si affectui, cui opponuntur, bene conveniunt, in eum amovendum vim suam lenientem egerere, neque, quod in reliquis hominibus solent, animum consopire; id quod egregie usu opii probatur contra soporem, qui paroxysmos febrium intermittentium comittatur. Unde regula videtur manasse, satis certis de utilitate quorundam remediorum nobis esse licere, si in singula organa hac non agant ratione, quam alias observare consuevimus<sup>a)</sup>. Idem Paradys censet, qui etsi compertum haberet, aegros temporarium a narcoticis levamen enixe deprecari, quod sensuum obscuratione nimis care quererentur emi, nihilominus suo illis tempore usus adscribit admirabiles: „amico enim, enarrat, quum postremo vitae tempore molimina singultus molestissimi ab acerbissimo cardiae dolore suffocata anxietatem incredibilem afferrent, ita ut mentem, eo usque constare visam, emoverent, exhibitum opportune paregoricum turbas sedavit, menti serenitatem reddidit, et placidum e vita excessum conciliavit.“ Sed animadvertisendum est, in iis, qui in limite mortis constituti sunt, sensibilitatem plerumque minui, et medicamenta non agere, nisi majori copia ingerantur; quare medicum cum cautione audacem esse oportet, ut et suo fine potiatur, neque aegroto noceat. Hac etiam ratione Kortum et Mursinna, de quibus supra dixi, miserorum, quos curaverunt, sortem juuisse credibile est, quamquam finis, quem sibi proposuerant, merito improbandus erat. Si autem aegroto e vita excessuro medicina volunus prodesse, ea sic comparata esse debet, ne nimis ingrata ad saporem sit, et facile hauriri queat; quod consequi nos posse credo ordinantes liquorē, cui tantum medicinae insit, ut exigua singulis vicibus homini bibenda sit portio.

Restat ut de altera symptomatum serie dicamus, ad quae mitiganda auxi-

Iis opus est, quae eo spectant, ut vel suscitentur, quae inertia laborant, vel eae actiones, quae reliquias exsuperant, cohibeantur. Quum autem summos moribundorum cruciatus a turbato motu sanguinis oriri sciamus, qui ad interiora corporis congeritur, refocillanda actione vasorum cutis illum sustentari opus est, quo sanguis ab interiore corpore ad externam cutem revocetur. Quae consilia secutus praceptor summe venerandus et laudibus meis longe superior, ut feminae cuidam, cuius res desperatae erant, ultimum, quod medico competit, humanitatis officium praestaret, balneum aromatico-spirituosum ordinavit<sup>b)</sup>. Alii e. c. Puchelt<sup>c)</sup> suadent, ut membra frigida pannis calidis et liquore quodam aromatico imbutis foveantur; quo remedio uti convenit, si forte aegrotum balneo immittere minus consultum videretur. Ceterum in usu medicamentorum, ne opera nil profutura aegrum torqueamus, cavere decet et eniti, ut remediis, quae commode hauriri queant, miserum hominem vere juvenus. Itaque qui febre et nimio vasorum agilitate uruntur, in potu amygdalino vel acido quodam aqua temperato malorum lenimen invenient. Ubi contra vires vitales prostratae jacent, analectica proderunt, ut vinum generosum, spiritus vini acido junctus, vel aether ex iisdem elicitus, qui infuso aromatico apte miscentur. Multi denique sub exitum vitae respiratione impedita laborant et a pituita intra pulmones congesta suffocationis metum patiuntur. His, si quae medicamenta sint, quae terribilem anxietatem lenire valeant, ea conducere arbitror, quae ammonium acido suecinico vel oleo cuidam volatili junctum continent. Neque omni omnino utilitate remedia cutem irritantia et rubefacientia carent, quae pectori imposita etiamsi labem pulmonibus illatam corrigere nequeant, certe id efficere videntur, ut musculos ad thoracem positos irritent et ad sustentandum respirationis munus concitent.

Sed haec de medicina moribundis facienda sufficient, cum meum non sit, de altera euthanasiae conciliandae parte, quae homines metum mortis vincere doceat, et ad derelinquendum vitae munus, quo frui consueverat, animum praepareat, disserere. Neque invitum praescripti fines ab argumento arcent, quod sublimiori dicendi genere tractari desiderat.

a) SAM. GLIED. VOGELS Krankenexamen. Stendal 1796. p. 353.

b) JO. CHR. AUB. CLARUS de omenti laceratione et mesenterii chordapso. Comment. I. Lips. 1830. p. 16. — c) PUCHELTS Syst. der Medic. Th. I. p. 522.